Gratiam & pacem in Domino. Venit hic literarum
baiulus optime Vir, afferens mihi causam matrimonii
quam cum intelligerem de tua dioecesi esse, remisi eum
ad tuum consistorium, ut partibus vocatis causa discutiatur.
Nam neque nostros admittimus ad audientiam altera parte
absente. Curabis igitur pro officio tuo in hac re quod
iustum. Diu nihil a te literarum accepi.
Neque scio quomodo valeas aut agas aut patiaris potius
in Episcopatu. Et te non nisi optime regis. & oro
De Episcopatu sollicitus sum propter te in tanta turba
confusionum & molestiarum. Sed dominus est cui
vivimus, vivimus & morimur (ut paulus ait) Ne-
mo nostrum sibi vivit, nemo nostrum sibi moritur.
Quo confortante possumus omnia. Aut quae non possumus
ea sunt quae ei non placent.

Bellum istud contra Incendiarium Heintzen quod
tibi & tuo commendatum, Ego habeo iuste pro bono
simpliciter quidem necessarium est pro defendendis
multis oppressis. Sed tamen opus est auxilio precibus
Dei ne nostras iniquitates & merita respicere velit
sed clamorem afflictorum & blasphemiam praedicatorum
papistarum Amen. Nova praeterea nulla habemus.
Ora pro me ut mihi dominus bonam horam concedat
Nam mihi certe nullae sunt amplius in capite vires
Dominus tecum maneat in aeternum Amen. Salutat te reverenter
mea Ketha. Die Margaretae 1542

T. Martinus Luther D.